

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. No. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacob. Tappia.

comptur 1.13.7



DISPUTATIO. IV.
DE
S. SCRIPTURA
CANONICA.

EX

Prima parte Examinis D. D. Martini Chemnitij

OPPOSITA

Primo decreto Quartæ sessionis Concilij Tridentini.

Quatuor Caputum:

I. *Summam decreti.*

II. *Scripturæ can. sufficientiam.*

III. *Canonis originem.*

IV. *Canonicorum & apocryphorum distinctionem
continet.*

Cuius positiones

DIVINA AD IUVANTE GRATIA

Præfide

SALOMONE GESNERO

S. S. Theologiæ Doctore & Professore publico in
Academia VVitebergensi, in Collegio Disputa-
tionum Theologicarum privato defenden-
das hora & loco solitis proponit

ELIAS FLENTSCHIVS

VVinshemius Francus.

2. Pet. 1. vers. 19.

Ἐχομὼ βεβαίωτερον τὸν προφητικὸν λόγον, ὃ καλῶς ποιῆτε
προσέχοντες, ὡς λύχνοι φαίνονται ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ· ἕως οὐ ἡ-
μέρα διαυγασῆναι φῶσφορῶ ἀνατείλῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν.

Anno Christi 1602. die 16. Ianuarij.

VVitebergæ, Typis VVolfgangi Meisneri.



*AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,
Virtute plurimarumq; rerum experientia prastan-
tissimis viris*

*Dn. Dn. Consulibus, Senatoribus, reliquisq;
inclytæ Reipub. V Vinshemensis assessoribus
dignissimis, Dominis & patronis
deyotè sibi colendis*

γύμνασμα hoc Theologicum

*Gratitudinis & observantiæ ergo
humiliter offert & inscribit*

Respondens.



Disputatio iv.

EX

Prima parte Examinis D. D. Martini Chemnitij

OPPOSITA

Primo decreto quarta Sessionis Concilij Tridentini.

CAPVT I.

De summa decreti Tridentini.

P OSITIO I.



Rdinis ratio postulat, ut secuti vestigia Re-
verendi D. D. Chemnitij, primum decre-
tum Quarta sessionis Concilij Tridentini ex-
cutiamus.

II.

In quo tres Praesidentes sedis apostolica
Legati cum reliquis Patribus protestantur, sibi ante omnia
hoc perpetuo propositum esse, ut sublatis omnibus erroribus pu-
ritas ipsa Evangelij in Ecclesia conseruetur.

III.

Declarant simul, quibus praesidijs in destruendis haeresibus
& destruendis dogmatibus uti velint, more purioris antiquita-
tis laudabili, quem imprimis Constantinus Magnus, cum Sy-
nodum Nicenam aperiret, observavit, Evangelici, inquit, &
libri sunt & apostolici, antiquorumq; Prophetarum oracula,
quae nos manifeste instruunt, quid sentiendum sit de rebus di-
vinitis. Suscipiamus igitur ex sermonibus divinitus inspiratis
questionum solutionem.

IV.

Tridentina vero Congregatio posthabito hoc Laudatissimi
Impe-

A 2



Imperatoris more regulam et normam, ad quam dogmata examinanda, constituit primo Traditiones sine scripto longa temporis consuetudine receptas, quas pari pietatis adfectu ac reverentia, sicut ipsam scripturam, suscipiendas & venerandas severe precipit.

V.

Secundo discrimen inter libros scripturae Canonicos & Apocryphos, Primitiva Ecclesia puriorisq; Antiquitatis suffragijs & testimonijs comprobatum, nefarie convellit & rejicit, contrariumq; statuentes anathemate ferit, hac tantum de causa ut ad confirmanda dogmata eadem sit autoritas Librorum Apocryphorum, quae est canonicorum.

VI.

Hac summa est decreti primi Quarta Sessionis, in cuius compositione Patres Concilij artificium non omnino nullum exercuerunt, quod probe observatum de fraudibus & prestigijs Tridentini Concilii blui multa monere potest.

VII.

Facit illud in hoc decreto mentionem sacrorum librorum satis honorificam, & videri posset hoc tantum velle unam & eandem esse doctrinam Evangelij; quam Apostoli primum voce tradiderunt, & postea scriptis libris consignarunt.

VIII.

Videri etiam posset improbare blasphemias & contumeliosas voces quorundam Pontificiorum, quod videlicet 3. scriptura sit doctrina mutila, manca, imperfecta: materia litis, non vox iudicis, Litera mortua occidens, Evangelium nigrum, Theologia atramentaria, nasus Cereus. &c.

IX.

Verum Andradius secretorum Concilij gnarus pandit mysterium, quod non quivis coniectando assequi posset. Ait enim, nullo modo in sacris Literis doctrinam ad fidem, pietatem bonosq; mores necessariam, totam comprehensam esse:

Patresq;

Patresq; Concilij invidiosa illa & atrocia verba usurpare noluisse ne plebs Concitetur, eandem tamen sententiam in effectu confirmare & sancire voluisse.

X.

Decretum v. hoc primum cum impia Andradij Interpretatione examinabimus, ad quod examen adferemus non stateras dolosas, ubi appendamus, quod volumus & quomodo volumus pro arbitrio nostro dicentes, hoc grave hoc Leve est: sed adferemus divinam stateram de scripturis sanctis, tanquam de thesauris dominicis, & illa, quid sit gravius appendemus, imò non appendemus, sed à domino appensa recognoscemus. August: Contra donatistas. lib. 2. c. 6.

CAPVT. II.

De

Scripturæ Canonicae autoritate, sufficientia
& perfectione.

XI.

Sola proinde scriptura sancta libris Prophetis & Apostolicis inclusa, omnia ad pietatem morumq; honestatem necessaria comprehendit, omnia itidem religionis Capita exactissime explicat, & ab his discrepantia nervosissime confutat: Quæ propterea etiam Canonica appellatur.

XII.

Nugas in re seriâ agunt Pontificij, turpiterq; Principium petunt, dum fabulantur, ideo scripturam vocari, Canonica, quod illa autoritas per Canonem Concilij alicujus ipsi sit attributa, cum ne nominare aut fingere quidem Concilium possint, in quo primum constitutus sit talis scriptura Canon, quasi antea scriptura non habuisset talem autoritatem. Neq; Canones Apostolorum adulterini hujus rei mentionem facientes, deplorate huic causæ quicquam patrocinantur, attestantibus etiam hoc nonnullis Pontificiorum doctoribus.

A 3

13. Siqui-

XIII.

Siquidem Canon 84. falso Apostolis adscriptus Canonicam autoritatem etiam assignat tertio Maccabaeorum, Epistolis duabus Clementis, & octo Praeceptionum libris, quos etiam ob quadam arcana vulgari non oporteat. De quibus tamen diversum iudicium extat apud Eusebium lib. 3. cap. 38. Quod a regula & norma veritatis Apostolica & ὑποτυπώσεσιν ὑγιονόντων τῶν λόγων plurimum recedant.

XIV.

Sumta est autem appellatio ex ps. 19. v. 5: In omnem terram exiit regula seu linea eorum, inq. fines orbis terra verba eorum. Quem sequitur D. Paulus Gal. 6. v. 16. ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ σοιχίσσῃ, quotquot secundum hunc Canonem seu regulam incedent, pax super illos & misericordia. Philip. 3. v. 16. inquit, Procedamus eadem regula.

XV.

Sua visissima haec est Metaphora, quae ad doctrinam Apostolicam confertur. Vti enim Canon seu regula constans linea aut funiculo, ideo applicatur ad structuram seu quodcumq. opus ne a vera ratione aut extra debitum ordinem aberret, sed ut certo ordine & debita ratione conficiatur & absolvatur: Ita, ut spiritualis domus Dei recte extruatur, opus est certo Canone seu regula doctrinae, ad quam structura fidei Ecclesiae formanda, & aptanda quae regula est doctrina Apostolorum, ps. 19. v. 5.

XVI.

Et Paulus utitur phrasi σοιχῆν κανόνι. Sicut enim acies Castrorum certo ordine instruitur progressura contra hostiles impressiones: ita Ecclesiam oportet vestigijs certae fidei incedere Rom. 4. vers. 2. si contra corruptelarum & heresium incursiones iuta esse velit.

17. Significat

XVII.

Significat etiam Canō, iuxta Varini Lexicon, partem in trutinis mediā, qua instar lingulae eminet, et ostendit vel aequilibrium vel excessum: quo ipse Deus quoque respexit cū Ose. 12. v. 7. pseudoprophetas regni Israhelitici comparavit mercatoribus in manu tenentibus stateras dolosas. Et Augustinus id ipsum l. 2. contra Donatistas c. 6. elegantissimis verbis paulo ante adductis explicat.

XVIII.

Quicquid igitur ad hanc regulam & caelestis trutinæ lingulam convenit, rectum, sanum & Apostolicum iudicemus: quicquid verò non quadrat, sed ab ea exorbitat, velut supposititium, erroneum, adulterinum liberè respiciamus.

XIX.

Illustris proinde hac appellatio admodum sacrae scripturae auctoritatem, Perfectionem & sufficientiam confirmat: Quod laudabilis ille Patrum chorus optimè intellexit & dictis elegantissimis expressit, quorum unum saltem lubet delibere.

XX.

D. Augustinus contra Cresconium lib. 2. c. 32. Ego, inquit, huius epistolae auctoritate non teneor, quia literas Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis desidero: & quod in eis divinarum scripturarum auctoritati congruit, cum laude eius accipio, quod autem non congruit, cum pace eius respuo. His similia scribit Augustinus lib. 11. contra Faustum Manichaeum cap. 5. & lib. 13. c. 5. De Baptismo contra Donatistas lib. 2. c. 3. epistola 48. ad Vincentium Donatistam, contra Faustum lib. 23. In ps. 67. Epist. 19. ad Hieronymum, Epistola 112. ad Paulinam.

XXI.

Ut rem Universam in pauca contrahamus, manifestum est, totam disputationem de auctoritate, Perfectione & suf-

& sufficientia scriptura omnium rectissime ex hisce fundamentis dijudicari, si probe animadvertamus, quo Consilio, propter quas causas, in quem usum Evangelista & Apostoli doctrinam suam literis consignarint. In singulis enim apostolorum scriptis deprehendimus luculenta de hoc Controversia Capite testimonia, quae in unum collecta, firmiores & solidiores de autoritate Perfectione & sufficientia S. scriptura praebent probationes.

XXII.

Cum autem hoc ipsum in precedente disputatione explicatum sit, sufficiat hoc loco illustris admodum locus Pauli 2. Tim. 3. v. 15, 16. Cum enim v. 15. de sacris Literis veteris Testamenti locutus esset, à puero sacras literas nosti, quae te possunt erudire ad salutem per fidem in Christo Iesu, mox subiungit v. 16. generalem sententiam de omni scriptura divinitus inspirata, quae scripta etiam Novi Testamenti contineri, nemo nisi & inficiabitur, Tota, inquit, scriptura divinitus inspirata utilis est ad doctrinam ad redargutionem ad Correctionem, ad institutionem, quae est in iusticia ut perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus perfecte instructus.

XXIII.

Et notatu dignum est, quod cum Paulus haec scriberet, omnia ferme Canonica scripta Novi Testamenti extiterint, exceptis Ioannis Apostoli scriptis. De illis igitur iudicium suum iam moriturus ad omnem posteritatem Ecclesiae relinquere voluit.

XXIV.

Iesuitis autem, ab utilitate sufficientiam scripturae non firmiter posse colligi arguantibus, Respondemus per Concessionem, non satis firmiter sufficientiam S. scripturae colligi, si Paulus tantum diceret, Scriptura est utilis ad doctrinam. Verum hic apostolus non subsistit, sed subiungit, ad redargutionem correctionem institutionem in iusticia, in quem finem? ut perfectus sit homo Dei, ad omne bonum opus absolutus.

Vocabula maximè Emphatica in Græco textu occurrunt
 ἄριστος, quod significat sanum, integrum & absolutum ἐξῆστισ-
 μως probè paratum, instructum & ad finem deductum, abso-
 lutum. Est enim ex nomine ἄριστος, quod numerum parum si-
 gnificat oppositum περιοςῶ impari, & apud Medicos, ἀρτίζευδος
 est luxata membra in suum locum restituere: καταρτίζειν est
 perficere, absolvere, & Math. 21. vers. 16. Christus sibi ore in-
 fantium & lactentium ἄνοιον καταρτίζειν laudem perfici contra
 Pharisaos & Sacerdotes adfirmat, & autor Epistolæ Heb. 11,
 vers. 3. graviter admonet, fide nos intelligere τοὺς αἰῶνας ἡ-
 ματι δεῖ καταρτίζειν secula verbo Dei fuisse perfectæ, absoluta:
 καταρτίσθαι μὲν est perfectus Luc: 6. v. 40. discipulus καταρτίσ-
 θαι μὲν perfectus erit, sicut Magister ipsius καταρτισμὸς signi-
 ficat instaurationem, perfectionem, quemadmodum D. Paulus
 Ephes. 4. v. 12. Emphasin huius voculae eleganter exprimit,
 dum asserit, Christum in dextra maiestatis sedentem & πάντα
 πληρώσαντα quosdam dedisse Pastores, Doctores &c. πρὸς τὸν
 καταρτισμὸν ἁγίων ad instaurationem & perfectionem sanctorum
 καταρτισίς denotat integritatem 2. Cor. 13. v. 9.

XXVI.

Hæc singula diligentius expensa hunc reddunt sententiæ
 Paulinæ sensum: Quando homo Dei minister Evangelij scri-
 pturâ deo πνεύματι utitur ad doctrinam, redargutionem, Corre-
 ctionem, institutionem, quod tunc sit in ministerio ἄριστος per-
 fectus, & ad omne bonum opus (in ministerio) ἐξῆστισ μὲν suf-
 ficienter instructus & absolutus.

XXVII.

Hinc manifeste liquet autoritas & sufficientia sacrae scri-
 pturæ, quam si homo Dei rectè usurpaverit, reliquis sine scri-
 pto traditionibus haud opus habebit. Et huc pertinent similia
 testimonia, Ioh. 20. Luc. 16. Act. 20. & 26. Ioan. 15. & 16.

B

Deut. 4.

Deut. 4. & 12. Apoc. 22. qua brevitatis studio in aliud tempus excutienda reponimus.

C A P V T. III.

A quo & quomodo Constitutus sit scripturæ sacrae Canon.
XXVIII.

Cam igitur scripturæ Canonica summa autoritas & sufficientia constet, non immerito queritur, à quibus & quomodo constitutus sit Sacra scripturæ Canon?

XXIX.

Pontificij clamitant, ab Ecclesia scripturam habere illam autoritatem, Ecclesiaeque autoritatem superiorem esse autoritate scripturarum. Ajunt enim Ecclesiam Evangelia ab Apostolis Mathia, Iacobo, Bartholomæo, Thoma, Philippo, Petro, Andrea scripta potuisse reycere, & Canonicam autoritatem impertire ijs, quæ non ab Apostolis Marco & Luca sunt edita. Imo Hermannus quidam non dubitavit blasphemio ore asserere, scripturas tantum valere, quantum valent Æsopi fabula, nisi accederet Ecclesiae testimonium, quod Hosius lib. 3. de Autoritate scripturæ ut pie dictum defensat.

XXX.

His ita, belle scilicet præsuppositis porrò magistraliter Romanenses edicunt, quod ea, quæ Ecclesia tradit & proponit, etiam sine ullo Scripturæ testimonio eandem habeant autoritatem, sicut scripturæ Canonica, cui Ecclesia hanc autoritatem indulserit: sicut Hosius inquit: Si quis habeat interpretationem Romanæ Ecclesiae, etiamsi non videat, quomodo vel cum textu conveniat vel pugnet, habere tamen ipsissimum Dei verbum.

XXXI.

Verum hæc falsissima & impia esse, hinc probatur, quod Deus non tantum sacram scripturam divinitus inspiravit, 2. Tim. 3. v. 16. sed etiam rationem comprehendendi literis doctrinam Cælestem verbis Decalogi scriptis iniitavit & consecravit. Exod. 32. v. 16.

32. Postea

XXII.

Postea vero ut tota res contra omnes imposturas esset Certissima, Deus certos quosdam homines ad scribendum elegit, multis & stupendis miraculis ornavit, ut non esset dubium, divinitus inspirata esse, quae scriberent.

XXIII.

Scripta insuper illa $\delta\epsilon\omicron\pi\kappa\epsilon\upsilon\varsigma$ publica & divina testificatione commendata sunt Ecclesiae, ut ea, adhibitâ omni curâ, incorrupta conservaret, & quasi per manus traditionem posteritati commendaret.

XXXIV.

Habet igitur scriptura Canonicam autoritatem principaliter à Spiritu sancto, cuius impulsu locuti sunt sancti Dei homines. II. A. Scriptoribus, quibus Deus peculiaria testimonia perhibuit. III. A. primitiva & ipsis scriptoribus coetanea Ecclesia ut à teste $\alpha\upsilon\tau\omicron\mu\eta$, cuius tempore scripta illa edita & approbata fuerunt.

XXXV.

Quam primâ Ecclesia, quae Apostolorum tempore fuerat, testificationem de genuinis scriptis, posteritas quae mox secuta fuit, constanter & fideliter retinuit & conservavit, ut, cum postea plurima sub titulo ac nomine Apostolorum scripta spargerentur, reprobata reiectaq; fuerint partim quia Primitiva Ecclesiae testimonio destituebantur, partim etiam, quod peregrina dogmata $\tau\acute{\alpha}\iota\epsilon\ \gamma\epsilon\alpha\phi\acute{\alpha}\iota\epsilon\ \omicron\upsilon\ \xi\upsilon\mu\phi\omega\upsilon\alpha$ in theatrum Ecclesiae introducere moliebantur.

XXXVI.

Sic itaq; Veteris Testamenti Canon est constitutus, quod autores divinis miraculis instructi, publicè testatū fecerunt, se doctrinam à Deo accepisse, quodq; Ecclesia autoribus $\sigma\upsilon\gamma\chi\epsilon\omicron$ & hoc ipsum vidit & testata est.

XXXVII.

Accessit postea, quod Christus & Apostoli suis allegationibus in Novo Testamento eminentem illam autoritatem libris Canonicis Veteris Testamenti plurimum auxerunt, & contra omnem dubitationē abundè munierunt.

XXXVIII.

In Novo Testamento Ioannes Euangelista vidit scripta reliquorum trium Euangelistarum, eaq; probavit ut scribit Tertullianus in libro de baptismo: Paulus suas Epistolas peculiari charactere notavit 1. Cor. 16. vers. 21. Col. 4. vers. 18. 2. Thes. 3. v. 17. Easdemq; Petrus Ecclesie commendavit. 2. Pet. 3. vers. 16.

XXXIX.

Et memorabilis huc pertinet historia, quam è Tertulliano recitat Hieronymus, quod Ioannes, qui divina Providentia post mortem Apostolorum superstes mansit, presbyterum quendam in Asia convicerit, eamq; ab causam deposuerit, quod post mortem Pauli sparsisset libellum cui titulus fuerit, Periodus Pauli & Teclæ, eumq; Paulo affinxerit. Tertullian: libr: de baptismo.

XL.

Marci verò & Luca Euangelio Canonicam auctoritatem nequaquam nuda per se Ecclesie testificatio tribuit, ut Pontificijs placet, sed, ut Tertullianus ait, Constituimus imprimis Euangelicum instrumentum, Apostolos autores habere, quibus hoc munus promulgandi Euangelij ab ipso Domino sit impositum. Si & Apostolicos (scilicet habere authores ut Marcum & Lucam) non tamen solos sed cum Apostolis, quoniam predicatio discipulorum suspecta fieri possit, si non assistat illis auctoritas Magistrorum, imo Christi, qui Magistros Apostolos fecit. Tertull. lib. 4. adversus Marcionem.

XLI.

Et Augustinus ait: Eo tempore scripserunt, quo non solum ab Ecclesia Christi, verum etiam ab ipsis adhuc in Carne manentibus Apostolis probari meruerunt.

XLII.

Hinc luce meridiana clarius evadit, quod fumos vendant adversarij, quando clamitant, Ecclesiam posteriorum tempo-

rum:

rum imò Romanam habere potestatem tribuendi alicui scripto
Canonicam auctoritatem. Si enim Coetanea autoribus Ecclesia
qua eos noverat, quaeq; αὐτόγραφα habebat, non potuit sola hanc
eminentem auctoritatem illis tribuere, id quod Tertullianus,
Augustinus & ceteri orthodoxi patres uno ore testantur, quan-
tò minus posterior Ecclesia illud facere poterit.

CAPUT IV.

Distinctio Librorum in Canonicos &
Apocryphos.

XLIII.

Hiscē κριτηρίοις adhibitis Eusebius lib. 3. c. 25. facit tres
ordines scriptorum Novi Testamenti: Primum eorum, quae
ἐνδιδάθηκα, ἀναμφίλεκτα, ἀναντιρρήκτα, nec ficta nec dubia, sed Le-
gitima, Canonica & totius Ecclesiae Confessione certa sunt: &
in hanc classem refert Eusebius ibidem primò quadrjugam
Euangelistarum scripturam, quam εὐαγγελίων τετρακτῶν no-
minat, secundò Acta Apostolorum: tertio Epistolas Pauli 14. in-
clusà etià illà, quae est ad Hebraeos, quae coniunctim omnes
Eusebius lib. 3. cap. 3. nominat πρὸς Ἰησοῦν σαφῆς δεκατέσσαρες
παύλος ἐπιστολάς: quarto primam Iohannis; quinto primam Pe-
tri, sexto Apocalypsin Iohannis. Hunc primum constituit ordi-
nem librorum Novi T. Eusebius. Secundum eorum de quibus
dubitatum fuit à quibusdam, an essent scripta ab Apostolis il-
lis, quorum nomina perferunt. Quae tamen non omninò reijcie-
bantur, sed ad adificationem plebis tantum non ad dogmatum
Confirmationem adhibita, hagiographa & Ecclesiastica nuncu-
pabantur: Ea vocat Euseb. lib. 3. cap. 25. ἀντιλεγόμενα μὲν
γνώσιμα δ' εὖν ὁμῶς τοῖς ποιεῖν & huc refert Epistolam Iacobi,
Iuda, posteriorem Petri, secundà & tertiam Iohannis. Tertium
ordinem Eusebius ponit eorum, quae sunt notha supposititia &
simpliciter reijciuntur. Vi sunt verbi gratia, Acta Pauli, Pa-
stor, Apocalypsis Petri, Epistola Barnaba, Apostolorum sic nun-
cupata doctrina.

B. 3. 44. Non



XLIV.

Non negligenda verò etiam illa subdivisio, quam tradidit Eusebius lib. 3. c. 25. quod libri ἀντιλεγόμενοι, quibus contradicitur, duum sint generum, quibusdam enim contradicitur quidem ὑπὸ τινῶν à nonnullis, qui tamen testificatione τῶν πλειῶν sunt Canonici ὁ γινώσκουσι genuini, ut Apocalypsis Ioannis, Epistola Hebraeorum, Iacobi ὁ Iudæ, posterior Petri, secunda ὁ tertia Ioannis.

XLV.

Alijs verò contradicitur ab omnibus orthodoxis καὶ τὴν ἐκκλησιαστικὴν διαδοχὴν, quæ etiam sunt νόθα, ἀτοπα, δυσσεβῆ, ὁ quæ nullus unquam τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἀνὴρ approbavit, cuius generis quædam sunt recitata paulò ante, ὁ plura habentur dist. 15.

XLVI.

Eodem autem pacto Augustinus etiam distinguit libro 2. de doctrina Christiana: Divinarum scripturarum, inquit, sòbertissimus indagator tenebit hunc modum in scripturis Canonis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesijs Catholicis; præponat eis, quæ quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quæ plures gravioresq; accipiunt, eis, quæ pauciores minorisq; autoritatis Ecclesie tenent.

XLVII.

Atque ista distinctio tam est evidens, ut Papistici quoq; scriptores minime postremi, sed omnium iudicio doctissimi ὁ gravissimi illam approbare ὁ inculcare necesse habuerint. Sic enim Caietanus Cardinalis in fine comment. vet. Testamenti scribit: Ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba Conciliorum, quàm Doctorum. Et iuxta illius sententiam ad Chromatium ὁ Heliodorum episcopos libri isti, Judith, Tobia, Sapientia, Syracides, Maccabeorum, non sunt Canonici, id est, non sunt Regulares ad firmandum ea, quæ sunt fidei: possunt tamen dici Canonici, id est, regulares ad adificationem fidelium.

lium, utpote in Canone Bibliae ad hoc recepti. Cum hac distinctione discernere poteris dicta Augustini & scripta in provinciali Concilio Carthaginensi. Hac Caietanus: cum quo consentit illa partitio, quam Sixtus Senensis lib. 1. bibliotheca & Stapletonus lib. 9. cap. 6. usurpant, quod librorum sacrorum alij sint Protocanonici, qui nimirum in proprio & genuino Canone censentur, alij Deuterocanonici, qui licet aliquando dicantur Canonici, revera tamen sunt Apocryphi.

XLVIII.

Ex scriptis autem veteris Testamenti inter Apocrypha, quae non sunt in Canone, iuxta Hieronymi prologum galeatum, numerantur liber Sapiientiae, Syrach, Iudith, Tobias, tertius & quartus Esdra, Baruch, Epistola Ieremiae, Libri Maccabeorum, particula in Esther & Daniele.

XLIX.

Huic utilissima distinctioni Pontificij opponunt auctoritatem B. Patrum, Augustini & Hieronymi.

L.

D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana c. 8. recitans, quibus Libris Canon scripturae contineatur, annumerat etiam illos Libros, quos nos dicimus esse extra Canonem, quem sequitur etiam Concilium Carthaginense tertium.

LI.

Verum ex ijs, quae modo sunt adducta, Respondemus, fallaciam esse equivocationis & Augustinum quoad rem idem nobiscum sentire. Latius .n. accipit vocabulum Canonicoꝝ, apocrypha etiam aliter intelligit nempe de adulterinis. Ex divisione insuper Eusebii supra citata trimembri Augustinus facit bimembrem, quosdam libros esse Canonicos, quosdam Apocryphos, & tamen illos quos vocat Canonicos rursus non obscure distinguit, quosdam scilicet ab omnibus accipi Ecclesiis, quosdam non ab omnibus, quos sobrie vult legi, & addit: illas scripturas, quae ab omnibus Ecclesiis accipiuntur, praeponeudas esse eis, quas quaedam non recipiunt.

52. D. Hie-

LII.

D. Hieronymus de Epistola Iacobi inquit, quod paulatim procedente tempore autoritatem obtinuerit; Et de Epistola Iudae: Autoritatem jam vetustate & usu meruit, & inter Sanctas scripturas computatur. Dicit etiam, Synodum Nicenam Librum Iudith in numero Sanctarum scripturarum computasse.

LIII.

Sed respondemus committi in hac allegatione fallaciam à dicto secundum euid, & plus inferri, quam Verba Hieronymi patiantur. Epistolam Iacobi sicuti & Iudae autoritatem meruisse non negamus cum Hieronymo, negamus autem cum eodem meruisse Canonicam, quemadmodum ipse se disertis verbis explicat. Legit hac Ecclesia ad edificationem plebis, non ad autoritatem dogmatum confirmandam.

LIV.

Deinde & hoc adijcimus, maximè discrepantes esse Phrasas, Inter Sanctas scripturas computari, & recipi inter scripturas Canonicas, quarum illa latior, hac angustior: & libenter cum Hieronymo fatemur, Epistolam Iudae ut & alia apocrypha inter Sanctas scripturas computari id est ad edificationem plebis publice in Ecclesijs legi: nunquam verò inter Canonicas recipi, id est, ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea esse.

LV.

Quapropter concludimus, puritatem doctrinae Coelestis non posse tutius conservari & ad posteritatem transmitti, quam si discrimen hoc Primitiva Ecclesia probe observetur, cum superioribus seculis eodem neglecto multa schismata imò crassissimas doctrinae Corruptelas in Ecclesia gremium irrepsisse, nemini possit esse dubium.

❧

F I N I S.

99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




174700

Retro

VD17





FIO. IV.

PTVRA

N I C A.

D. Martini Chemnitij

S I T A

nis Concilij Tridentini.

apitum:

icientiam.

ocryphorum distinctionem

itiones

ANTE GRATIA

le

GESNERO

z Professore publico in

in Collegio Disputa-

n privato defenden-

litis proponic

N T S C H I V S

s Francus.

rl. 19.

ικόν λόγον, ὡ καλῶς ποιῆτε

ἐν ἀυχμηρῶ τόπω- ἕως οὐ ἡ-

τείλῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν.

die 26. Januarij.

Volffgangi Meisneri.



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue